

immanis faucibus eripuit, senioreni Tobiam à gravissimâ cæcitate curavit, Saram, ipsumque juniorem Tobiam, adeoque totam Raguelis domum ab infestissimo demonum furore liberavit. Unde vers. 14: *Misit me* ( Raphaelis verba sunt) *Dominus, ut curarem te; et Saram uxorem filii tui à demonio liberarem, sen, ut citat lib. de Oratione Dominicâ, et libro de mortalitate S. Cyprianus: (Me misit Deus curare te, et Saram nurum tuam.)* Sic S. Isacius apud Metaphrastem, mediis in spinis, ab angelis conservatur. S. Franciscus apud S. Bonaventuram, musico concentu à morbo difficillimo releveratur, ut recte videatur cecidisse, quiscripsit: *Aspicere quæ cæli sint gaudia: corpore morbum Angelico removel pectine tacta chelys.*

Octavum, cum, ad Dei gloriam et animorum salutem facere intelligunt, opes etiam, honestas nuptias, splendidas affinitates, et omnia bona procurant, quemadmodum in Raphaelæ nostro vidimus, ut merito Dei oculi, Imò et contra vocari possint. Videatur Cyrillus lib. 4 contra Julianum, Eugubinus de perenni philosophiâ, lib. 8, cap. 5, et sequentibus, Origenes in Numeros homil. 20 et 25; Epictetus Ariani lib. 1, cap. 14, et Seneca, epistolâ 110, ubi quæ à veteribus Israelitis vel Christianis mutuati sunt, explicant.

Nonum, interdum etiam nos tentant; sed eo modo quo Deus, qui aliqui *intentionatorum est*, Jacobi vers. 15, tentare homines dicitur, ut Abrahamum 8, Genes. 22, Israelitas et alios Exodi 15, 16, 20; Sapientie 5, Jacobi 1, vers. 2. Hæc enim tentatio nisi virtutis probatio, exercitatio et demonstratio est. Atque hoc in Græco significatur, et apud Cyprianum locis jam citatis, dum ita loquitur S. Raphael: *Quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, sed obisti et sepe- listi mortuum, missus sum tentare te.*

Decimum, angelorum istorum munus est, eos qui variis è proposito jam genere tentationibus, molestiis ac asperitatibus exerciti fuerint, suavissimè tandem consolari. Quanto enim et quàm suavi solatio cæcatur olim Tobiam, tristi maritorum cæde morientem Saram, parentis incommodo indolentem filium, illæ tam repentinis tamque funestis viduitatibus contreritis parentes, Raphael ad extremum perdidit! Sed omnium maximè solent id sancti angeli facere, cum ex hæc nobis vitâ demigrandum: cum jamjam è corpore avolat animus, cum supremi judicis adit tribunal. Pleni exemplorum de sanctorum histo-

riis codices, viderique potest divus Chrysostomus lib. 6, de Sacerdotio, Gregorius Magnus in dialogis, Gregorius Turonensis libro de gloriâ Martyrum, et libro de gloriâ Confessorum, alii præ omnibus tamen D. Lucas cap. 16, cum beatissimam Lazari, qui ulceribus, fame, morboque paulò ante confectus, non in domo, vel tuguriolo saltem aut stabulo quopiam, sed in plateâ sub dio, et ante divitis januam, et inter canes jacebat, mortem describit. *Factum, ait, est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahe.* Unde et ipse paulò post Abraham: *Lazarus, ait, nunc hic consolatur.* Ideoque ipsa etiam Ecclesia, dum supremum aut morientem aut mortuo alicui præstat officium, *Aperiantur, ait, ei cæli: collentur illi angeli. Suscipiat eum sanctus Michael archangelus Dei, qui militia cælestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti angeli Dei, et perducant eum in civitatem celestem Jerusalem. Subvenite, sancti Dei, occurrere, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.* Quæ etiam usitatissima et vetus Hebræorum, in suorum funeribus, precandi ratio est, ut ex vulgato eorum libro Mahzor patet, ubi sit: *Angeli pacis, egredimini in occursum ejus: portas paradisi voluptatis reserate illi; atque pacem ipsius adventui denuntiate. Custodes thesaurorum horti Eden, patefacite ei portas Eden.*

#### QUÆSTIUNCULA LVIII.

QUOMODO SEPTEM HI ANGELI A QUIBUSDAM VOCENTUR?

Exstat de septem angelorum principibus in Italiâ, libellus quidam semel, iterum et sæpius excusus, variisque illorum imaginibus ornatus; primò quidem operâ Antonii Ducez, et supra vidimus, deinde et aliorum studio. Is septem hosce angelos septem hisce nominibus indiguit, ut primus sit *Michael*; secundus *Gabriel*; tertius *Raphael*; quartus *Uriel*; quintus *Schealtiel*; sextus *Iehadiel*; septimus *Barachiel*. Primi nominis interpretatio est: *Quis sicut Deus?* Secundi, fortitudo Dei; tertii, supra posita cap. 5; quarti, lumen Dei; quinti, petitio Dei; sexti, laus seu confessio Dei; ultimi, benedictio Dei. Et quartum quidem Urielis nomen disertim consignatum est lib. 4 Esdræ cap. 4 et 6. Quintam exsculpunt nonnulli ex Genes. 18; sextum ex cap. 23 Exod.; septimum ex Genesios 18. Audio etiam angelorum, istis cum nominibus, picturas, in templis quibusdam, reperiri. Est urbs Germaniæ

nostræ ampla et splendida, quæ, cum religione catholicam, ejusque sanctos, et eorum tam imagines, quam nomina funditis, contra laudatissimos majorum suorum mores, extirpata cupiat; suum tamen, superioribus hisce annis, calendarium edidit, in quo non septem tantum, sed octo angelos poneret, eorumque non nuda tantum nomina, sed et affabrè sculptas imagines, et quidem è Scripturâ historiis capitibusque annotatis, quasi ii exinde angeli haberentur, circumcirca imprimeret. Sunt autem hæc, in quibus à prioribus illis discrepantiam videt quilibet; nomina *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Malthiel Zadkiel, Peliel, Raziel.* Apud Tritemium verò libro antè citato de Secundis, ita fidem isti nominantur. Primus *Oriphel*, secundus *Anael*, tertius *Zachariel*, quartus *Raphael*, quintus *Samael*, sextus *Gabriel*, septimus *Michael.* Henricus porro Cornel. Agrippa lib. 3 de occ. Phil. cap. 24, paulò ante verba quibus hos esse septem de quibus Scriptura loquitur, ostendit, suntque superiore quâdam quæstioncula recitata, istum in modum scribit: *Accepimus ab antiquis Hebræorum patribus, nomina angelorum præsidantium planetis atque signis. Saturno, Zachariel; Jovi Zadkiel; Marti, Camael; Soli Raphael; Veneri, Haniel; Mercurio, Michael; Lunæ, Gabriel.* De istis porro, quid censendum, deinceps exquiremus.

#### QUÆSTIUNCULA LIX.

AN RECTE HEC ANGELIS ISTIS IMPOSITA NOMINA?

Catholica Ecclesia cum in Litanis, tum aliis in precibus, et ritualibus omnibus, tria tantum nomina recipit et usurpat: cætera non item. Et verò Glycæ Byzantini in Anualium parte teriti hæc oratio est. *Appellatio Urielis, quemadmodum reapse sapiens Psellus scripsit, nec prisci fœderis libris, nec novi continetur; sed extat in libro quodam Hebraico, qui inscriptionem habet: Precatio Josephi, et apocryphus est.* Ita ille. Quòd si verò propter apocrypham Esdræ scripturam probatur Uriel, cur non etiam Jeremiel? Sic enim lib. 4, cap. 4, vers. 56: *Respondit ad ea Jeremiel archangelus.* Clarissima verò et notata dignissima sunt quæ in Germaniæ nostræ Apostoli S. Bonifacii Historiâ lib. 2, leguntur. Impius quidam hereticus Adelbertus, cum sese Apostolis æquipararet, multaque impis hereticorum nostrorum dogmatibus, de sanctorum templis, de peccatorum confessione, abisque id genus, consimillima doceret, addebat, epi-

stolam se et precationem è cælo accepisse, et in hæc ipsâ octo angelorum nomina, in quibus et *Uriel* erat, quasi divinitus missa recensebat. Quid verò S. Bonifacius? *Ex octo istis angelis, unus tantum, sit, est S. Michael: reliqui septem potius demones.* En quo loco Psellus et S. Bonifacius *Urielis* nomen habent! Gravius tamen auctoritatis momentum, è Romano concilio, in eadem historiâ, est, dum de angelorum nominibus quamdam veluti fidei professionem edunt congregati Patres, ipseque qui concilium coegerat, Pontifex maximus. Nam cum heretici illius Adelberti charta prolata esset, subditur in concilio: *Subscripta est et lecta oratio, cujus initium tale erat: Domine Deus omnipotens, Pater Domini Jesu Christi, et a et o, qui sedes super septimum thronum, et super Cherubin et Seraphin; pietas magna et dulcedinis satis est apud te, Pater sanctorum angelorum, qui fecisti cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; te invoco et clamo et invito super me miserum, quia tu dignus fuisti dicere: Quodcumque petieris à Patre in nomine meo, dabit vobis; à te peto, ad te clamo, in Domino Christo confido animam meam. Cùmque per ordinem legere tur, pervenit ad locum, ubi ait: precor vos et conjuro vos, et supplico nil nisi ad vos angelus Uriel, angelus Raguel, angelus Tubel, angelus Michael, angelus Adimis, angelus Thubas, angelus Sabaoth, angelus Simiel.* Dum verò hæc oratio sacrilega usque ad finem perfecta fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit: *Quid ad hæc, sancti fratres, respondetis? Sancti episcopi et venerabiles presbyteri responderunt: Quid aliud agendum est, nisi ut omnia quæ coram nobis lecta sunt igni concrementur, auctores verò eorum anathematis vinculo percellantur?* Octo enim nomina angelorum, quæ in suâ oratione Adelbertus invocavit, et non angelorum, præter Michaelis, sed magis demonum nomina sunt, quos ad prestandum sibi auxilium invocavit. Nos autem, ut è vestro sancto apostolatu edocemur, et divina tradit auctoritas, non plusquam trium angelorum nomina agnoscamus, id est, *Michael, Gabriel, Raphael.* Atque huic concilio cum alii omnes, tum Zacharias ipse subscripsit, rursusque postea in epistolâ 9 confirmavit. Quanti apud nos omnes tanta tanti pontificis, tantique concilii auctoritas esse debet! Neque sanè angelorum nomina plura,



quàm tria usitata; nisi forte aliquid aliud notionis ejusdem nomen esset, eandemque angelicam personam alio quodam modo et idiomate significaret; agoverunt D. Gregorius, homilia 54, D. Hieronymus in Danielis 8. Dixerit tamen quispiam, cum septem istos angelos esse certum sit, eorumque nobis in Scripturâ sacrâ et summa dignitas et officium demonstratum sit, etiamsi non sint omnium nomina indicata, quidni aliquibus eos nominibus appellare liceat? An, ut in *perihermenas* initio docetur, non sunt nomina ex hominum instituto? An, ut ab aliis alii distinguuntur nominibus, imò et brutis, et fluviis, et locis et rebus penè omnibus imponere nomina licebit, angelis istis non licebit? Quòd si verò aliqua iis imponere liceat, quidni ea ipsa, quæ proposita sunt? cum, sicuti *Michaelis*, *Gabrielis* et *Raphaelis*, ab aliquibus eorum nominis, proprietatibus et actionibus petantur? An lineas, angulosque suos Euclides, et syllogismorum suorum terminos in Analyticis Aristoteles, quibus voluerit, literarum nominibus insignent, novasque item res novatis verbis grammatici et oratores; nobis verò in angelis nulla omnino concessa erit onomatopœia? Moverent me ista non parùm, nisi vel minimum Ecclesiæ catholicæ iudicium, omnibus id genus rationibus longè anteponebam. Non vult Ecclesiæ hujuscemodi angelorum nomina cudi; ego, qui in sanctâ illius officinâ modeste, demissèque gerere me cupio, nihil fabricabor, omnes omnium et philosophorum, et grammaticorum incedes abjiciam: si matri mee tria satis nomina sunt, plura non comminiscar, ne fortè et apostolico huic præcepto parùm morigerer, 1 Timoth. 6, vers. 20: *O Timothee, depositum custodi, devitas profanas vocum novitates*. Videmus quantum hæc in re, qui à Dei cœtu alieni sunt, Judæorum Rabbini, et Cabalæi maximè lascivierint, qui et mira nominum portenta finxerunt, et fingendi aliis potestatem, adœque, si Deo placet, artem traxerunt; idque confirmant Adami exemplo, ad quem unâ cum rebus aliis angelos Deus adduxerit, hisque illo nomina indiderit, cum Genesis 2, vers. 19, clarè dicatur, formati, Dominus Deus, de humo cunctis animalibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam *animæ viventis*, ipsum si nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animalia, et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ. Veterum verò

hereseon fabri, quot et quàm monstrifica nobis angelorum nomina fabricati sunt? Apud Epiphanium hæresi 24, est *Abrasax*; hæresi 25, *Principis*, *Paldabaath*, *Calaucauch*, *Barbeo* et *Meira*, hæres. 26, *Jao*, *Seda*, *Seth*, *Dade*, *Eloas*, qui et *Adonius*, *Jaldabaath*, qui et *Ellaus*, *Sabaath*; hæres. 50 et 51, *Achamoth*; hæres. 55, trecenta et sexaginta quinque sunt angelorum, sicuti et cœlorum totidem nomina, quæ confinxerat Saturnus, sicuti et apud S. Irenæum lib. 1, cap. 12, *Azaelem*, de quo multa Cabalæi, Marcus et hæreticus et magus. Apud Eliam Thisbi, verbo *Lilith*, invenitur *Senoi*, *Sanenoi*, *Samangoloph*. In apocrypho Hermæ lib. 1, visione 4, dicit virgo quædam: *Misit Dominus angelum suum, qui est super bestias, cui nomen est Hegrin, et obturavit os bestiarum ne te dilaniaret*. In Aruch est *Sandalphon*, *Milatron*, *Semangeliph*, *Jarcum*; qui vocatur *Sar Haborad*, id est, princeps grandinis, seu angelus, qui grandini præsidet. Apud Turcas, ut ait Historia Turcica auctor lib. 2, cap. 19, est *Nechir* et *Remochir*, rursusque cap. 20 et 21, *Israphil*, qui in iudicii die, torham inflaturus sit; est etiam *Arot* et *Marot*, ut refert lib. de Concordiâ orbis Postellus. Quid magi? quid qui nomina ex inquinatissimis eorum, quos hæcenus protuli, lacubus hausierint? Sunt, ait Agrippa loco antea prolato, viginti octo angeli, qui dominantur in viginti octo mansionibus lunæ, quorum nomina per ordinem sunt, *Geniel*, *Enediel*, *Amiziel*, *Azariel*, *Cabiel*, *Dirachiel*, *Schel*, *Ammediel*, *Barbiel*, *Araziel*, *Neciel*, *Abiziel*, *Jazariel*, *Ergediel*, *Atiel*, *Azrael*, *Adriel*, *Egibbiel*, *Amutiel*, *Kyriel*, *Bethael*, *Geliel*, *Reviel*, *Abrinael*, *Aziel*, *Tagriel*, *Arheniel*, *Amiziel*. Et paulò ante: duodecim cœli signis præsidet angeli duodecim: Arieti *Machidael*, aliis deinceps isti: *Asmodel*, *Ambriel*, *Muriel*, *Verchiel*, *Homaliel*, *Zuriel*, *Barchiel*, *Adachieli*, *Hamael*, *Gambiel*, *Barchiel*. At, in suâ illâ ignibus quàm typis ullis digniore Steganographiâ, quid Tritemius? *Orifiel*, angelus Saturni, sub se alios habet spiritus, qui sunt *Sadael*, *Pimiel*, *Moriziel*, *Jovis Zachariel*, etsub seistios habet, *Elozielem*, *Arielem*, *Raphaelem*, *Martis angelus est Samael*, cui parent *Amael*, *Asmael*, *Nebiel*. Solis angelus est *Michael*, cui subditi sunt *Lamiel*, *Palael*, *Vaariel*. Veneris angelus *Anael*, cui morem gerunt *Zabdiel*, *Sarmiel*, *Azoniel*. Mercurii angelus *Raphael* est, cui obediunt *Carmiel*, *Nebeiel*, *Pachiel*. Lunæ denique angelus est *Gabriel*, cui obsequuntur *Remahiel*,

*Jessie*, *Theoriel*. Ecce, quò humanorum ingeniorum progreditur lascivia, dum angelica sibi nomina faciendi licentiam indulst. Hæc enim ideò commemorasse volui.

## QUÆSTIUNCULÆ LX.

QUOMODO ET ALIUNDE ISTIUSMODI NOMINA IMPROBENTUR?

Improbatur ea istiusmodi nominum fictio primò ex ineptissimis, quibus ea fingi docent modis, Docent enim, ut apud Agrippam est libro 5, c. 25 et 29, ut vel certi alienus numeri litteræ accipiuntur, vel trisyllabum aliquod Dei nomen, aut rei certè alienius, cui angelus, cujus architectandum vocabulum est, præsidet; sicque addatur *et*, aut *on*, aut *ah*, et statim veram angeli nomen proditurum. Hinc ergo 72 angelorum nomina, quæ 72 Dei nomina ferant. Hinc planetis præsidet: Saturno quidem *Sabathiel*, aliis *Zedechiel*, *Madimiel*, *Semeliel*, vel *Schemeschiah*, *Negogel*, *Cohabiah*, vel *Cochabiel*, *Iareel* aut *Levanael*, aut, ut lib. 2, c. 22, intelligentia Saturni est *Agiel*, *Jovis Jothphiel*, *Martis Graphiel*, *Solis Nathiel*, *Veneris Hagiel*, *Mercurii Tiriel*. Duodecim verò signis præsent ab Ariete inchoando, *Telesiel*, *Suriel*, *Tomimiel*, *Sartaniel*, *Arieli*, *Bethuel*, *Mathaniel*, *Acrabiel*, *Chesetiel*, *Gediel*, *Deiel*, *Dagimiel*. Sed et hoc in quâcumque lingua fieri posse docet idem Agrippa, ut *Arietiel*, *Tauriel*, *Geminiel*, *Canceriel*, *Leontiel*, et cætera. O vanos, vanos, quos *Vaniel* et *Sultiel* nescio quis exagitat! Sed addunt, erectâ etiam cœli figurâ, posse tam honorum quàm malorum angelorum nomina inveniri, si ad singulos ascendentes aut descendentes alphabeti litteræ spargentur. At quàm inter se dissident? Alii secundum cardinum almutezios progredientium aiunt, alii secundum undecimâ domos almutezios; Arabes verò et Rabbiorum quidam secundum hylegorum quinque ordinem. Eousque verò sese effrenata hæc nomenclationum novarum jactat audacia, ut bonorum malorumque hominum spiritus eodem artificio, quasi jam facti angeli aut daemona sint, nominandos existimet. Hinc, ait c. 28, lib. 5, Agrippa, cum, qui apud Esdram lib. 4, c. 4, vers. 56, est *Jeremiel*, esse *Jeremie* prophete spiritum, *Zacharie* verò *Zacharietem*, *Urie* prophete, quem occidit *Joachim*, *Urielem*. Jam tertio, si quis vel solum audiat, quantum vel veris, vel commentitiis id genus nominibus isti tribuant, quasque ad res et quomodo iis abuti soleant, facile, opinor, constituet, me-

lius tufuse nihil esse, quàm intra ecclesiasticæ sepe modestiæ gyrum continere. « Hæc, cait ille c. 24, nomina tunc non secus atque oblationes et sacrificia diis devota, efficaciam virtutemque sortiuntur, ad spirituales aliquid substantiam desiderati affectûs operatricem de superis et inferis educendam. Vidi ego et novi quemdam inscribentem in chartâ virginèa nomen et signaculum spiritus sancti, in horâ Lunæ; quam cum dedisset postea ad devorandum ranæ fluviali, et cæcimen quoddam obmurmurasset, remissa ranâ in aquam, nonnullæ pluvie et imbres oborti sunt. « Vidi per eundem inscriptum alius spiritus cum suo signaculo nomen in horâ Martis, eidem quo datum, quo post immurmuratum carmen dimisso, protinus ab eâ cœli plagâ, quam ille involasset, obortis nubibus fulmina, concussiones, horribilique tonitruo consecuta sunt; neque tamen erant illa spirituum nomina ignotâ lingue, nec alia quam officiorum illorum significativa. « Hujus generis sunt angelorum istorum nomina, *Raziel*, *Gabriel*, *Michael*, *Raphael*, *Haniel*; quæ sonant, *visio Dei*, *virtus Dei*, *fortitudo Dei*, *medicina Dei*, *gloria Dei*. « Quis eum carmen illud immurmuratum audit, non perhorrescat? Quis hominis hujus cæcitatem non deplorat, qui scribere et approbare hæc ausus est? Nunc et illud mihi vide, quos et quàm certò et confidenter veteribus illis angelos dent: « Solent, ait Agrippa lib. 5, c. 47, fuisse spiritus benè expurgatis animis etiam esse visibiles præbere et comites, cujus exempla multa sunt in sacris Litteris, ut in *Abrahamo* et ancillâ ejus *Agar*, in *Jacob*, *Gedeone*, *Eliâ*, *Tobiâ*, *Danièle*, et multis cællis. « Vera hæc, nèque malè. At quæ sequuntur: « Sic *Adam*, inquit, familiarè consuetudinem habuit cum angelo *Raziele*; *Sem* filius *Noe*, cum *Jophiele*; *Abraham*, cum *Zadachiele*; *Isaac* et *Jacob*, cum *Petiele*; *Joseph* et *Josue* et *Daniel*, cum *Gabriele*; *Moyse*, cum *Melatron*; *Elias*, cum *Malthiele*; *Tobias* junior, cum *Raphaele*; *David*, cum *Cerathiele*; *Manue* cum *Phadale*; *Genez*, cum *Ceruel* et *Chesiel*, cum *Hamaele*; *Esdras*, cum *Uriele*; *Salomon*, cum *Michale*. « Postremò de his ipsis nominibus, quanta inter ipsos disensio est! Mihi alias, *Malthiel* in urbis antea dicte *Calendario*, *Moyse* ascribitur, ab Agrippâ ipse *Elias*, *Raphael* à Tritemio *Jovis* famulus traditur, et rursùm tamen *Mercurii* dominus, ab eodem *Soll* tribuitur *Michael*, ab



aliis Raphael; ab eo etiam Mercurio Raphael; ab aliis Michael. Septem ergo magnos, beatoque in angelorum agminibus principes istos suspiciamus, amemus, colamus in eorum honorem, principum omnium Principi Deo ter gloriosissimo templo, uti magnâ cum pietatis laude Panormitana fecit civitas, excitemus, sacrificia offeramus, ipsosque, ut Ambrosianum istâ in re verbum retineam, *obsecremus*; quæ tamen sanctum voluit Ecclesie concilium tacita nomina, laceamus.

## QUÆSTIUNCULA LXI.

POSSITNE URIELIS NOMEN ALIQUO MODO RETINERI?

Disertim, ut dixi, hoc ponit liber quartus Esdræ, c. 4 et 6. Verum is liber apocryphus est, ut Esdræ initio monstravi, et significavit Psellus. Quia autem quæ in apocryphis leguntur, auctoritatem licet non habeant, interdum tamen mala non sunt, ideo *Urielis* nomen approbârunt non omnino nulli. Nam D. Ambrosius lib. 5 de Fide ad Gratianum, c. 2: « Non, ait, moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. » S. Isidorus lib. 7 Orig., c. 5, quartum hunc angelum agnoscit, ejusque nomen interpretatur. Similiter et docti viri, qui S. Henrici imperatoris ævo floerunt, eumque vel privatim, vel publicè, in scholis et templis docuerunt. In templo siquidem Basiliensi, quod Augustus ille Henricus magnificè restauravit, donisque plurimis decoravit: « Eminet, inquit lib. 3 Rerum Germanicarum, fol. 40, beatus Rhenanus. Iacniana illa aurea lignæ tabule adhærens, c septem millibus florenorum æstimata, quâ, ipse privatim in larario suo cum viveret, usus est. Unde et tutelares divos refert, quos ille præcipue coluit, nempe quatuor angelos, *Michaelen, Gabrielem, Raphaelen, Urielem* et *Benedictum*, ac in horum medio stantem Christum, ejus pedibus ipse cum uxore Cunigunde advolvitur. » Unde verò hæc imperatori ejusque conjugi religio et sententia, nisi ab his quos divinarum tum rerum interpretes audiebant? Jam Missa seu universalis Canon Æthiopum, quæ in SS. Patrum Bibliothecæ tomo 4 legitur, hæc, fol. 120, habet precationem: « Custodi, Domine, populum tuum per c preces majorum angelorum splendentium, *Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis*, et quatuor animalium sine carnè. » De quibus scilicet Apocalyps., c. 4, 5, Albertus Magnus in suâ, quam Viceliana proferunt Exerçimenta, Litaniâ, *Urielem* nonne preca-

tur? Quid S. Bonaventura Centiloqui parte 5, sect. 48? Videmus etiam Christianis quibusdam *Urielis* nomen imponi, quod, sacro in Baptismo vel Confirmatione, nunquam ferret, si dæmonis tantum nomen foret. Hoc ipso seculo, in ipsâ archiepiscopali S. Bonifacii sede Moguntinâ, primò quidem decanus, deinde archiepiscopus fuit *Uriel à Gemmigen*, qui anno 1514, è vivis excessit, prout ejus, in principè Moguntinâ æde, monumentum ostendit. Ecce et Græco-latinarum precum liber apud Hieronymum de Marne anno 1580 editus, fol. 120, in Litaniis disertè ponit: *Ἄγγελος ὀψερτά, ὑπερθεός ὁμοῦ ἁγίων*. Quia igitur libris, picturis, nomenclationibus, id nominis boni quidam neque indocti viri terunt, videamus absurdum ne sit, eodem quandoque nomine bonos malosque angelos insigniri, quemadmodum, sicut in celo, ita et apud inferos, multi Joannes et Petri sunt. Si enim, quod apud Areopagitam libro celestis Hierarchie, c. 15, quidam asserunt, è superioribus et inferioribus ordinibus angeli plures sunt, qui Seraphim vocentur, cur *Urieles* zelotes afferat? Ego tamen, posteaquam sanctissimi pontificis et synodi Romanæ sententiam cognoscere datum est, tribus angelorum nominibus plura cur agnoscam? Quæ aliis in rebus omnibus tenerum mihi os fingit, balbutientemque, præfando, linguam format pia et erudita mater Ecclesia, cur in hisce nomenclaturis à me non audiatur? Cabaleorum fumose apud Reuchlinum appellationes, prodigiosa item Tritemii et Agrippæ nomina, cæteraque omnia his consimilia placeant, quibus lubebit; Maximi sanè pontificis hæc ad illam synodum subscriptio est. « Zacharias episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ catholice, atque apostolice urbis Romanæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi. » Neque mihi de nihilo videtur, quod sanctissimæ Trinitatis personæ tres, tria tantum è tot cœlestium spirituum ipsis assidue famulantium myriadibus in authentico verbi sui volumine sacrisque synodis nomina patefacere voluerint, rursumque quòd interdum de suis interrogati nominibus angeli, enuntiare abnuerint. Luctantem secum angelum Genes. 32, v. 29, interrogavit Jacob: *Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit: Cur quaris nomen meum? Cùm Sansonis patri apparisset angelus, dixit ille huic Judic. 15, vers. 17: Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille respondit: Cur quaris nomen meum, quod est*

*mirabile? Sed hæc putaverit fortè non nemo nimis multa; certè tamen, uti spero, minimè vel prava vel inutilia.*

## QUÆSTIUNCULA LXII.

AN COMEDERIT RAPHAEL?

An corporatos cibos angeli comedant, duæ sunt opiniones: Una, in assumptis corporibus verò ipsos comedere. Ita Alensis 2 part., q. 55, memb. 4; Scotus 2-2, d. 8. Altera, non verè comedere. Duplicita enim ista opinio, corporum, quæ assumunt angeli, esse opera: quedam quæ ab animatorum operibus modo solo et respectu ad insitum principium differant, ipsa verò actionis substantiâ convenient: quedam verò, quæ neque modo illo, neque substantiâ convenient. Comestionem igitur, quoad modum cibi localem, esse quidem verè comestioni substantiâ similem; sed modo et respectu illo differre, cum edendi vitale principium in angelo nullum sit. Dico primò Augustinum 15 Civit., c. 22, utramque opinionem censere probabilem, ut dicantur angeli non verè comedere, vel verè quidem comedere, non tamen necessitate, sed tantum potestate. Atque isto modo loquitur Emisenus homiliâ in Dedicatione Ecclesiæ: « Angeli enim quando volunt, ex aere corpus assumunt, quo videri et tangi et loqui, et manducare, et bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aer, ita et corpora quæ sumuntur ex aere. His autem ad tempus induuntur, quæ, cum se expoliaverunt, mox in eundem aërem resoluntur. Angelus tamen Raphael ad Tobiam loquens, ait: *Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum videbar manducare et bibere, sed ego cibo invisibilis et potu qui ab hominibus videri non potest, utor.* Secundum igitur hanc sententiam, et cæteros angelos manducare et bibere intelligat, quibuscumque impossibile esse videtur, ut angeli manducant et bibant. Moyses tamen eos comedisse testatur. » Dico secundò. Comestio dupliciter sumi potest: perfectè includit ea non solum ciborum in os et esophagum immisionem, sed etiam confectionem, quæ in ventriculo fit, et conversionem in verum animalis corpus. Imperfectè verò illam tantum immisionem complectitur. Tertio, angeli posteriori modo seu imperfectè comedunt, non perfectè, ideoque hoc loco angelus vers. 19: *Videbar, ait, vobiscum manducare et bibere, perfectè scilicet corporatos visibilesque cibos vestros manducare; corporatos visibilesque potus*

bibere. *Sed ego cibo et potu invisibilis, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Videri quæst S. Justinus Martyr, Dialogo cum Tryphone, tractatus Thalmodicus *Baba Messia*, c. 7. Imò, etiamsi per assumpta corpora cibum imperfectè, ut dixi, angeli capiant, adhuc tamen aliquo modo dicere potest angelus, *Se videri comedere, neque tamen comedere, etiam imperfectè*, quia, neque formæ instar, neque hypostasos instar, corporibus illis unitor. Notandum tamen, licet eadem in Græco sententia sit, illud *videbar*, non conjungi cum manducare et bibere, ideoque valere, *vobis apparebam; sub aspectum vestrum cadebam. Πάσας τὰς ἡμέρας ὀρατοῦν ὄντων, καὶ οὐ φαίνον; εἰδὶ ἔστων; ἀλλὰ ἔφατον ὑμῖς ἰδοῦσάντων. Omnibus diebus vobis videbar; et neque comedebam neque bibebam, sed visionem ipsi videbatis.* Videbar vobis homo, videbar humano more humano cibo sustentari. At visio erat, non autem verè perfectèque aut à vobis videbar (cum sub oculis natura mea non caderet), aut coram vobis edebam et bibebam, cum horum nullo egæam. D. tamen Augustinus capite illo 22, lib. 15, in versione suâ legebat: *Visa videbatis, pro visum videbatis*, simili modo quo visa pro visionibus apud Latinos dici solent. « Non, ait, homines in phantasmate angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt, equumvis utrum angeli essent ignorantibus, consimili nobis indigentia, vesi viderentur. » Unde est, quod ait angelus in libro Tobie: « *Videbatis me manducare; sed visu vestro videbatis*, id est, necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, me cibum sumere patabatis. » Quamquam videri potest intellexisse D. Augustinus, *ἔφατον θεωροῦν pro καὶ ἔφατον.*

## QUÆSTIUNCULA LXIII.

QUIS ANGELORUM CIBUS INVISIBILIS?

In Hebræo et Græco textu, nulla cibi hujus mentio. Sciendum verò spiritualem cibum vocari posse, quicquid animi appetitum explet. Hic enim appetitus et sitiis et fames interdum vocatur; et res, quæ ipsum satiat, cibus dicitur: æque re perfruit, et edere ac bibere, saturari et delectari. Hinc enim illa: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Matth. 5: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Joannis 4 et alia complura. Sic Lactantius lib. 1 Instit. cap. 1: « Nullus es suavior animo cibus est, quàm cognitio veritatis. » Sic D. Augustinus lib. contra adversarium legis et Prophetarum cap. 15:



« Lignum vite, est sapientia, beatarum cibum  
 « immutabilis animarum; » et ipsos ejusdem  
 D. Augustini libros, vocat D. Gregorius animi  
 cibum; itemque Historiam Cædrenis in princi-  
 pio, *alimontiam tenellam, molique præparatam.*  
 Angelorum verò cibum duplex est: primarius,  
 divina scilicet majestas; et secundarius, quæ-  
 libet nimirum alia res divinâ majestate quo-  
 danimodò informata et condita, ut Christus  
 ipse Dominus quâ homo, et qualibet alla res  
 à Dei gloriam pertinens. Etenim illo semper  
 frui, rerumque genus quodlibet, in quo divinæ  
 gloriæ vera materies est, fieri avertit, optant-  
 que cupientissimò. Sic igitur divina majestas  
 visa et comprehensa, cibum est, qui delectatione  
 infinitas parit. D. Ambrosius in oratione  
 illâ, quæ ante Missam recitari solet: « Man-  
 « ducat te, 6 panis candidissime, angelus pleno  
 « ore in patriâ. » D. Bernardus serm. 28 ad  
 sororem, de modo bene vivendi: « De hoc,  
 « ait, pane, dicitur in Psalmis: Panem Angelo-  
 « rum manducavit homo. Alloqui esca illa licet  
 « de celo venerit, et potus, quia corporeus  
 « erat, angelis non congruebat; sed utique  
 « ille panis, et potus, qui per hoc præfigurâ-  
 « batur, Christus verò panis est angelorum,  
 « et sacramentum hoc vera caro ejus est, et  
 « verus sanguis; quod sacramentum spiritua-  
 « liter manducet et bibit homo. Ac per hoc  
 « unde vivunt angeli in cælis, inde vivit homo  
 « in terris; quia totum spirituale est et divi-  
 « num in eo quod percipit homo. » Et post  
 illa: « Christus in semetipso in celo sanctos  
 « angelos pascit; Christus et jam in semetipso  
 « in terrâ omnes fideles reficit. Christus per  
 « speciem sanctos angelos satiat in patriâ;  
 « Christus nos pascit per fidem in terrâ, ne  
 « deficiamus in vitâ; Christus angelos et ho-  
 « mines reficit ex semetipso, tamen integrè  
 « remanet in suo. Quam bonus panis, et quam  
 « mirabilis, de quo in celo angeli saturantur,  
 « et in terrâ homines reficiuntur! quem man-  
 « ducat angelus pleno ore in patriâ, ipsum  
 « comedit peregrinus homo pro modulo suo,  
 « ne lassetur in vitâ! Christus panis vivus,  
 « qui est refectio angelorum, ipse est redem-  
 « ptio et medicina hominum. » D. Augustinus  
 serm. 2 et 4 de Nativitate: « Lacta, mater,  
 « Christus, et Dominus nostrum, et cibum.  
 « Lacta panem de celo venientem, et in præ-  
 « sepi positum, velut piorum cibaria juven-  
 « torum. » Rursùm verò D. Bernardus ser-  
 monè 50 super Cantica: « Lacrymæ, inquit,  
 « penitentium, vinum angelorum, quod cum

« lætitudi bibunt. » D. Athanasius lib. de Vir-  
 ginitate: « Jejunium, cibum angelorum est, et  
 « qui eo utitur, ordinis angelici censendus est,  
 « quemadmodum contra, corporis otio et  
 « crapulâ nostrâ admodum delectantur damo-  
 « nes. » Atque hoc cõstitutum nectat et ambro-  
 sia, de quâ Eugubinus lib. 8 Philosophiæ  
 cap. 17. Ille creatus ille panis, quem, sicut  
 in Gastronomiâ refert Archestratus, nive  
 candidiorem, et à Mercurio, pro diis, coemi  
 solitum. De hac esca veritùs quàm de sermone,  
 vel eruditione ullâ in vindictis. Cœsar Statius:  
 « Illec imos animi perlapsa recessus incon-  
 « sumpta manet. Neque enim ludibria ventris  
 « hausimus. » Apud S. Bonaventuram, egre-  
 gius ille sacra paupertatis alumnus, S.  
 Franciscus, *medicatum panem, angelorum*  
*panem* vocabat, jucundè ad manna, de quo  
 in Exodo dixi, alludens. D. Augustinus loco  
 citato: « Esse, ait, in paradiso cum Christo,  
 « hoc est, esse cum ligno vite. Ipse est quippe  
 « sapientia de qua Proverb. 3, scriptum est:  
 « Lignum vite est amplectentibus eum! S. Ful-  
 gentius epistolâ 2, cap. 43: « Tales, ait, con-  
 « vivii debes habere participes, quæ non carnis  
 « solent delicias laudare, sed cordis; quæ  
 « angelorum panem interioris hominis avidi-  
 « tate perquirunt, quæ post sponsum suum  
 « in odore unguentorum ejus currunt; quæ  
 « suavitate Deum gustûs interioris percipiunt,  
 « quæ puro affectu esuriant sicutque justi-  
 « tiam, quæ operantur cibum, non qui perit  
 « sed qui permanet in vitam æternam. » Eui-  
 « senus in citatâ dedicationis homillâ, « Panem,  
 « ait, frangimus, et in tenuissimum pulverem  
 « aromata contundimus, quando sacras Scri-  
 « pturas diligenter exponimus. In tali igitur  
 « fractione cognoscitur Jesus. Sic enim dis-  
 « cipuli cognoverunt in fractione panis. Pro-  
 « pter quod Abraham in hospitium cum sus-  
 « cepit, et cibos ei apposuit, quatenus in  
 « comestione et ciborum fractione plenius  
 « eum cognoscere posset. » Quemadmodum  
 verò in humanarum dapum esu, perfectam  
 angelis comestionem negabamus, imperfectam  
 admittimus, ita contra, spiritualium ciborum  
 istorum perfecta illis comestio est, nobis in  
 terrâ adhuc lato hærentibus imperfecta. Et  
 inter spirituales eosdem cibos omnium perfe-  
 ctissimus, quo et perfectissimè fruuntur,  
 Deus est, ideòque et de hoc potissimum jam  
 locutus Raphael.

D. Augustinus lib. 7 Confess. cap. 49: « O  
 « æterna veritas, et una charitas, et chara

« æternitas; contremui amore et horrore,  
 « tanquàm audirem vocem tuam de excelsis:  
 « Cibum sum grandium; cresce et manducabis  
 « me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum  
 « carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. »

## QUÆSTIONCULA XLV.

CUR ANGELUS TERROREM INFERT VERS. 16,  
 ET RURSUM ADMIT VERS. 17.

Notandum dupliciter in humanâ formâ vi-  
 deri angelos, primò simplici, ut homines tan-  
 tum videntur, non, etiam angeli agnoscantur,  
 ut Genes. 18, 19. Secundò augustiore, ut Mat-  
 thæi 28: *Angelus Domini descendit de celo, et*  
*aspectus ejus sicut fulgur.* Priore modo visis  
 angelis non terrentur homines, nisi fortè se-  
 ipsos angelos esse illi dicant, qui eorum con-  
 suetudine assuefacti non sunt, vel opinione  
 illâ inani, de quâ dixi Judicium 6 et 13, labo-  
 rent. Posteriore modo terrentur, et quidem  
 magis, aut minus, pro varietate splendoris,  
 aut propriæ villitatis et indignitatis æstimâ-  
 tione, ut Danielis 10, Lucæ 1. « Sicut humana  
 « fragilitas est, inquit Venerabilis Beda in  
 « Luc. primum, spiritualis creaturæ visione  
 « turbantur, ita et angelicæ benignitatis est, pa-  
 « ventes de aspectu suo mortales mox bla-  
 « diendo solari. Ast contra demoniacæ est  
 « feritatis, quos suâ præsentia terrore sense-  
 « rint, ampliore semper horrore concutere. »  
 Et quemadmodum refert D. Hieronymus in  
 Math. 28, et apud D. Athanasium in Vitâ  
 dicere solebat S. Antonius: « Cum bonus  
 « angelus bonis hominibus apparet, etiamsi  
 « in illo inusitato aspectu timorem injiciat, ad  
 « extremum consolationem et animi tranquil-  
 « litatem relinquit. » Et rursùm: « Sancto-  
 « rum angelorum amabilis et tranquillus as-  
 « pectus, quia non contendunt, neque cla-  
 « mant, neque audiet aliqui vocem eorum;  
 « verùm tacitè leniterque properantes, gau-  
 « dium, exultationem, fiduciam pectoribus  
 « infundunt; siquidem cum illis est Dominus,  
 « qui est fons et origo lætitiæ. Tunc mens  
 « nostra non turbida, sed lenis et placida an-  
 « gelorum luce radiatur; tunc animâ coeles-  
 « tium præmiorum aviditate flagrans, effracto,  
 « si posset, humani corporis domicilio, et  
 « membris exonerata mortalibus, cum his quæ  
 « videt abire festinat ad cælum. Horum tanta  
 « benignitas est, ut si quis pro conditione fragi-  
 « litatis humanæ, mirò fuerit eorum fulgore  
 « perterritus, omnem continuò ex corde aule-  
 « rant metum; ita Gabriel cum Zachariæ loque-

« retur in templo, et angeli, cum divinum Vir-  
 « ginis partum pastoribus nuntiant, et qui  
 « Domini corpus agebant excubias, securis  
 « se videntium mentibus ostendentes, ne me-  
 « tuerent imperabant. Metus enim non tantum  
 « ex pavore animi, quantum ex magnarum  
 « rerum sæpè incutitur aspectu. Pessimorum  
 « verò vulgus truces, sonitus horridi, sordidi  
 « cogitatus, plausus motusque indisciplina-  
 « rum adolescentum, vel latronum, et quibus  
 « confestim timor animæ, sensibus stupor  
 « incutitur, odium Christianorum, monacho-  
 « rum moror tediumque, suorum recordatio,  
 « metus mortis, cupido nequitæ, lassitudo  
 « virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post ti-  
 « morem horrore concepto successerit gau-  
 « dium, et ad Deum fiducia atque ineffabilis  
 « charitas, venisse sciamus auxilium, quâ se-  
 « curitas animæ præsentis majestatis indicium  
 « est. » Videatur D. Gregorius hom. 26 Paschali:  
 « Pavent, ait, illi, qui non amant adventum  
 « supernorum civium; pertimescunt, qui car-  
 « nalis desiderii pressi ad eorum se societ-  
 « tatem perlingere posse desperant; vos autem,  
 « cur pertimescitis, qui vestros concives vi-  
 « detis? » Sic etiam Cyrillus catechesi 44,  
 Chrysost. Hom. 90 in Matthæum, et Theoph.  
 in Matthæum.

## QUÆSTIONCULA LXY.

QUOMODO AB EORUM ASPECTU ABLATUS ANGELUS?

In textu Hebræo vers. 21, dicitur: *In cæ-  
 lum ascendit, et non adjecit, ut amplius esse  
 videndum iis daret.* Id autem fieri potuit triplici-  
 ter: primò, aspicientium oculis perstringendo  
 et *hōpazav* immittendo, ut dixi Genes. 19.  
 Deinde, corpus assumptum aliò quopiam su-  
 bitò transferendo. Tertiò illud ipsum depo-  
 nendo, et in materiam è quâ illud constaret  
 redigendo, quæ ferè semper aer est, vel pu-  
 rior, vel crassior, ut vapor, exhalatio, quem-  
 admodum docet S. Thomas 4 part., q. 51,  
 ad 3: « Et tertio isto modo evanuit hic Ra-  
 « phael. » Posset etiam fieri ut angelus assump-  
 tum corpus quasi cadaver relinqueret, neque  
 amplius moveret, quod tamen hic factum non  
 patet è circumstantiis. Addit verò in Græco  
 angelus: *Scribite omnia que facta sunt in libro,*  
 pro eo quod noster habet: *Narrate omnia mi-  
 rabilia ejus.* Hebræus verò paulò etiam quid  
 amplius proponit: *Nunc ergo, ait, scribite vobis  
 omnia verba hæc in libro, et erit testimonium  
 inter vos, et Deum vestrum omnibus diebus vite  
 vestre. Et hoc verbum sit in signum et testimo-*



num in omnem generationem et generationem. Et vos benedicite Dominum et confitemini memorie sanctitatis ejus. Et nunc dimitte me, et revertar ad Deum qui misit me ad vos.

QUÆSTIUNCULA LXVI

CUR JUVENILI FORMA, MERCENARIQUE HABITU  
APPAREBAT NACTENS RAPHAEL?

Juvenilem verò formam angeli boni asciscunt, ut pulchritudinem et ætatem suam, quæ nullo unquam sensu marcescit, significant, quemadmodum, ait Dionysius Areopaganus celestis Hierarchie cap. 15, reliquos habitus, ad quas mittuntur, functionibus, convenire solet. Ad læta nuntiandum, et eos quibus se spectandos dant, hilarandum, juvenili formæ vestium etiam splendorem adhibent; ad perterrendum verò et puniendum, gladios interdum stringunt, hastas vibrant, equos agitant, aliasque generis ejusdem, prout res ususque tulerit, personas induunt. Id quod in genibus diis que suis, rerum nostrarum similes, gentiles imitati sunt, quemadmodum Plautinus ille Mercarius in Amphitruone :

*Nunc, ait, ne hunc ornatum vos meum admiremini, Quod ego hæc processi sic cum servilis schemæ: Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam.*

Quia ergo se omnimodò ad iter illud aptum expeditumque significare voluit Raphael, idè et juvenilem et mercenariam ipse speciem ascivit.

QUÆSTIUNCULA LXVII

QUID ABSCEDENTE ANGELO, QUI EUM JAM COGNORANT, REVERUNT?

In Hebræo dicuntur primò ipsum *dimisisse*, prorsùs ut factum hic videatur, quod Genes. 25, versu 26, cum Isacho diceret angelus: *Dimitte me. Ille verò: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Esi enim hic loca corporum nulla fuit, animorum tamen et charitatis magna fuit, ita ut angelo præcepisse Deus videatur, ne sanctos istos viros, nisi bonâ eorum veniâ et permissâ, desereret. Deinde in textibus omnibus additur eos Deum *benedixisse*. Modum etiam exprimitur iidem textus omnes, eos videlicet, etiam ante angeli abitum, sese pronos in terram abjecisse, timoris nimirum, venerationisque gratiâ. Tempus verò, quo sic abjecti prostratique jacuerunt, solus exprimit Latine. *Tunc, ait, prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum.* Denique, post trichorium hoc è terrâ se ipsos erexerunt, et

narraverunt, non verbo tantùm, his qui ad se tùm vel audire poterant, sed et literis totique. deinceps consecutura erat, posteritatis, omnia mirabilia ejus. Hæc in Græco dicuntur *opera magna et mirabilia ipsius, scilicet Dei*; in Græco, *ipsius angeli*. Sed quæcumque à sanctis magna et mirabilia sunt, ea simul et ipsorum et Dei sunt, quia per illos iste, qui gratiam dat, illa facit; et illi hujus gratiâ et dono faciunt. Omnes enim cum beatissimâ illâ Virgine confitentur: *Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus, Luc. 1.* Quemadmodum verò cum utroque Tobî colloquendi finem jam facit Raphael, de eo scribendi uterque, faciam et ego, si eorum quæ de illo dicta sunt, pulchram, piamque et utilem ad angelum cujusque proprium accomodationem è nuper editis Vicentii Bruni Meditationibus proponerem.

QUÆSTIUNCULA LXVIII

QUE DE RAPHAËLE DICTA QUOTIEN MODIS AD PROPRIUM CUIUSQUE ANGELEM ACCOMMODENTUR, ET QUIS PRIMUS?

Gloriosus, ait ille noster jamjam indicatus, Raphael tùm ratione nominis sui, tùm officiorum misericordiæ, quæ ille detulit utrique Tobî, et seni et juveni, omninò fuit typus et figura luculenta eorum, quæ faciunt erga nos angeli custodes. Et primò aptissimè in illum competit nomen Raphaelis, quod interpretatur, *medicina Dei*, ab effectu medicinæ tam spiritualis juveni Tobî datæ, quàm corporalis, quæ seniori Tobî: patri visum restituit. Quo verò alio officio fungitur erga te angelus custos, nisi medici tam corporalis quàm spiritualis, ut inferiùs dicitur? Quare, ut id melius intelligas, considera tres esse humana vitæ status. Primus est, quo homo adhuc degit in utero matris; secundus à tempore natiuitatis, usque ad mortem et judicium animæ suæ particulare; tertius est, in quo homo versatur post mortem. In unoquoque ergo horum statuum congruenter omnibus actionibus Raphaelis angeli, contemplare singula officia quæ custos angelus erga te exercet.

Quod ad primum statum attinet, narrat Scriptura supra, eum senior Tobias cogitaret filium suum in remotam regionem mittere, sollicitum fuisse de fido comitatu ei attribuendo. Et ecce antequàm bonus juvenis domo paternâ pedem afferret, angelum à Deo missum, specie humanâ, se offerentem in comitem, etiam in ducent totius itineris. O cha-

ritas immensa, et cura plus quàm paterna Creatoris, qui, antequàm è ventre matris prodiret, priusquam ullam inimicorum tuorum et periculum impendentium notitiam haberet, mandavit uni beatorum spirituum, qui semper divinam ejus faciem contemplantur, atque illi ipsi qui prius matris tuæ custos fuerat, ut tui curam susciperet, inciperetque te in tenello isto statu, multis periculis obnoxio, unâ cum matre præservare, quo sine impedimento ullo securè ad gratiam baptismi pervenire posses, et in filiorum Dei numerum inscribi. Sed quid dico ego de curâ et memoriâ à Deo habitâ pro te adhuc in utero materno existente, imò ab omni æternitate? antequàm angelos vel aliud quidquam condidisset, cum nondum essent abyssus, nondum locata essent fundamenta cœli et terræ, jam, ô homo miserabilis, tui memor erat, et de tuâ salute sollicitus, quancum ab æterno tuam Ingratitudinem et indignitatem prævidit, nihilominus ex merâ bonitate suâ, nullo tuo antegresso merito, non solum decrevit tibi illud auxilium præstare, sed etiam omnia beneficia in te conferre, quæ hucusque à primo conceptionis momento receperit, et deinceps usque ad ultimum, omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem, es receptorus!

QUÆSTIUNCULA LXIX

MODIS ALTER QUIS?

Deinde quod ad secundum statum vitæ tuæ attinet, cum in lucem hujus vitæ prodidisti, subjungit Scriptura sacra, quemadmodum angelus Raphael egressus cum Tobî à domo patris, promiserit eodem cap. 5, se fidelem ejus comitem toto itinere futurum, salvumque ad locum destinatum perduciturum. Non secus Deus te, simul atque natus es, cum uno horum celestium civium comitatus est, ut tantquam singularis custos, et pædagogus tui patrocinium susciperet, tumque advocatum apud suam Majestatem in cœlo ageret. In hæc enim vitâ omnes sumus veluti pueri, opsque habemus tutore et pædogogo, qui quasi manu nos deducat et sustentet, ne fortè pedes nostri in aliquam petram peccati impingant, aut grave aliquod periculum adeant; qui quoque nos in brachia sua excipiat, ut securè loca periculosa transeamus, nec ante periculum animadvertamus, quàm evaserimus. Secundò, sicut angelus Raphael duens juvenem Tobiam per viam, optima consilia illi suggererat, instruatque sigillatim supra cap. 6, quâ ratione

matrimonium inire deberet, nempe non hominum carnalium more, sed cum sancto timore Dei, crebrâque oratione: sic angelus tuus custos continenter tibi bona consilia suppeditat, et te in omnibus actionibus dirigit: ille enim te excitat et impellit ad multa bona opera faciendâ quæ sine hoc auxilio non faceres, idque nunc alliciendo Christiani Domini et Sanctorum exemplo, nunc tuam voluntatem consideratione bonitatis divinæ infinitorumque ejus beneficiorum inflammando, nunc etiam futuri judicii, penarumque inferni memoriam mentem illuminando. Tertio pergit ibidem Scriptura narrare beneficia, quæ Tobias ab angelo Raphaelæ, tam quoad suam personam, quàm quoad bona temporalia recepit. Cum enim pervenisset ad fluvium Tigris, et in eo vellet lavare pedes suos, insillit in eum piscis immanis ad eum devorandum: sed angelus eum defendit et ab illo periculo liberavit, voluitque ut fel ejus acciperet ad restituendam cæco parenti sanitatem. Ad hæc, idem angelus non solum redemit pro Tobî summam illam pecuniæ, ob quam erat missus cap. 9, sed hæredem quoque eum fecit omnium facultatum socii sui Raguelis cap. 6, versu 24. Jam quid aliud agunt angeli nostri custodes, nisi ut continenter, ad auxilium nobis præstandum, in necessitatibus nostris vigilent, haud secus ac mater intentos semper oculos habens in puerulum suum, ne fortè labatur, aut mali aliquid faciat. Cogita igitur à quot periculis corporalibus te præservavit, quæ, æquè ac alii, incurrere potuisses, atque etiam quàm fuerit sollicitus in procurandis tibi bonis temporalibus, ut sanitate, viribus et aliis adjumentis, ut vitam convenienter statui tuo instituire posses, atque illi statui, qui ad salutem consequendam tibi esset accommodatior. Quartò, sicut angelus Raphael, ut ipse cap. 12, vers. 12, dicit, officium sibi vendicabat, orationes, bonaque opera Tobî Deo offerendi, sic angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris in conspectu Dei, offerendo orationes tuas et desideria, et qualicumque opera bona quæ facis, semperque à Deo aliquod donum gratiæ divinæ ad te referendo. Utinam videre fas esset quanto studio angeli sancti nunc ascendant pro nobis, uti faciunt in scalâ à Jacob patriarchâ conspectâ; ascendunt exponendo necessitates nostras, præcandoque Deum, ut divinam suam misericordiam nobis impertiat; descendunt autem reportando à Patre cœlesti sanctas inspira-



tionem, cogitationes bonas, aliæque divina auxilia, et interdum etiam correctionem aliquam paternam, ut excitent nos, nosque ipsos exploremus, ne simul cum hoc mundo condemnemur. Quinto, sicut angelus Raphael Tobiam docuit cap. 6, modum, quem tenere debebat, ad exterminandum dæmonium, ut non haberet amplius potestatem in ipsum, contra quod etiam ipse angelus pro juvenis defensione pugnavit; sic angelus noster custos, non aliter quam fidus capitaneus, cui commissa est arx aliqua adversus hostes defendenda, diligenter vigilat, ne vi vel fraude ab illis occupetur. Hi enim angeli sunt fideles illi custodes, quos Dominus Isaiæ 62, dicit collocatos in muris Hierusalem ad custodiendum per vigiliis noctis gregem suum, ne lupus ille infernalis adversarius noster, instar leonis, animas nostras abripiat. Ad hos quoque custodes angelos pertinent illa verba Apocalypsis c. 5: *Esto vigilans et confirma. Vigilat enim angelus custos pro nobis contra dæmonem, obijciendo se ejus incurisibus, frangendo et debilitando ejus vires, et acceptam reparando iacturam, ne amplius tantâ confidentiâ et audaciâ invadere audeat. Confirmat quoque nos, removendo peccatorum ornamenta, nisi à multis vitis et peccatis deterrendo, in qua destituti ejus auxilio, faciliè incideremus; nunc etiam corroborando nos, et animando in occurrentibus tentationibus et afflictionibus; ac denique à Domino impetrando fortitudinis et gratiæ augmentum, ad resistendum, et victoriam obtinendam.* Sexto, sicut angelus Raphael, supra cap. 8, dæmonem, ne Tobiam, velut omnes reliquos mulieris maritos, occideret, comprehensum alligavit in deserto; ita noster bonus angelus singulariter nobis tempore mortis assistit, ut illa horâ ab insidiis et impugnationibus dæmonis nos tueatur, et immunes reddat quâ ærius quam aliis solet circuire, quærens quem devoret; deinde ut à peccatis illis quibus id temporis maxime obnoxii esse solemus, ut ab infidelitate et desperatione nos preserveret, atque ita ex miseris hujus mundi liberi ad cœlestem patriam migrare possimus. Ad hæc postquam anima è corpore excessit, idem angelus eam comitatur, solatur, animat, ut confidenter se tribunal divino sistat, obijciens ejus oculis merita Jesu Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicii fidere debeat. Si autem ad expandias peccatorum reliquias adjudicata fuerit Purgatorio, ibi eam sæpè iacuit, solatur, certiorum redditu de precibus

piorum pro eâ in mundo fusis, et denique de futurâ liberatione securam esse jubet.

QUÆSTIUNGULA LXXI.

MODUS ULTIMUS QUIS?

Quod ad tertium, eumque extremum trum statum attinet, considera quid denique angelus Raphael fecerit, quomodo videlicet, cum conjugem juveni Tobie assignasset, omnibusque sul soceri donis et opibus onustum eum in domum paternam reducerit, ubi tantò majore gaudio receptus est, quanto major erat molestia de ejus reditu retardato, metuentibus omnibus ne forte perisset. Ille simul contemplare tui fidelis custodis officium, qui animam tuam, postquam confecta longè et periculosa perigrinatione, ab omni maculâ expurgata fuerit, cœlesti sponso per cœlestem paranymphum conjunctam, multisque donis et divinis charismatibus ornatam ac totam hilarem et letam conducet ad cœlum, ad illam paternam Hierusalem matrem nostram, ibique magno gaudio et exultatione omnium Paradisi angelorum et sanctorum à quibus multo ante fuerat expectata, cœlestis Patris conspectu presentabit, ut divinis etiam manibus recipiat coronam gloriæ et felicitatis ejus, quæ ab æterno ei preparata fuit, et pro quâ nos miserî adhuc ingemiscimus, et suspiramus in hæc lacrymarum valle. O millies beata anima, quæ postquam suo Creatori fidelis extitit, bonisque sui angeli custodis consiliis paruit, post annos vite suæ laudabiliter exactos, ad eodem angelo in beatam illam patriam, in illa æterna iustorum tabernacula introduceretur! Ibi celebrabuntur vere nuptiæ ægri cum suâ dilecta sponsæ, ibi plena erit lætitia, perfecta pax et quies sine fine. Hæc omnia ille, qui et simili pietatis non parvæ sensu plurâ persequitur.

QUÆSTIUNGULA LXXII.

DE QUÆ JERUSALEM POSTERIORA HÆC INTELLIGENDA?

(Tob. cap. 12, v. 20 et seq.)

Suppono triplicem esse Jerusalem, unam omninò terrenam, quæ est urbs, alteram omninò cœlestem, quæ beatorum domicilium est. Ecclesia triumphans est, tertiam quasi mixtam, quæ est Ecclesia militans, in terris scilicet commorans, et tamen spiritalis. Intelligunt igitur de omninò terrenâ Judæi, quemadmodum Isaiæ 54 et sequentibus, de is docet S. Hieronymus; de cœlesti verò Beda hic

Glossa et Isidorus; de mixtâ Hugo hic et Lyranus cap. ultimo; de omnibus Carthusianus. Et ita omnino videtur quia et sæpè hoc alibi fit, et nonnulla hic dicuntur, quæ minus commode in hanc vel illam Jerusalem conveniant, verbi gratiâ, in terrenam non satis illa congruent versu 15: *Omnes fines terræ adorabunt te*; versu 19: *Liberavit Jerusalem civitatem suam à cunctis tribulationibus*; et capite sequenti, versu 7: *Veniens gentes in Jerusalem, et inhabitabunt in eâ*. In cœlestem verò excidium, et reedificatio hic, versu 11 et 12, itemque cap. sequenti, versu 7, an ullo pacto cadere dici possint?

QUÆSTIUNGULA LXXIII.

QUÆ DE HIERSOLYMIS HÆC PREDICANTUR?

Multa et magna sunt, quæ hoc loco de Hierosolymis vaticinantur senior noster. Primum est, versu 12, *Dei tabernaculum* eâ in urbe reedificandum, id est, templum, quod sequenti capite, versu 7, domus Dei appellatur. Quod verò Latinus activè dicit, reedificaturum Dominum, id passivè Græcus expressit et addidit, reedificandum eum gaudio, *ὡς πάλιν ἡ πόλις ἀπὸ τοῦ ἀποδοῦνός ἐν αὐτῇ γὰρ χάρις*; id est, ut iterum ipsius tabernaculum in te eum gaudio exultent. Alterum, est ibidem, revocaturum Dominum omnes qui in captivitatem abducti fuissent. Sed omnes intelligendi, non pro singulis omninò, sed pro tribus omnibus, è quibus aliqui redirent, seu, ut dialectici loquuntur, pro generibus singulorum accipienda hæc generalitatis particula. *Captivos* vocat Græcus ἀδικησάντων, et τὰς ἀμαρτίας, id est, captivos et miseros, vel ærummosos, et quod dicitur, ut *gaudeatis*, idem Græcus ait, *τὸ εὐφρανῆαι καὶ τὸ ἀγαπῆσαι ἐν αὐτῇ τοῖς ταπεινοῖς*, ut gaudeant et amet in te omnes miseri, id est, gaudent et exultent. Nam ex patriæ amissarumque rerum, cum recuperantur, amore, nascitur lætitia, nisi enim videatur pro ἀδικησάντων, legendum ἀγαπῶντων, sed notandum lætitiæ hujus temporis, quod nequaquam circumscribitur, sed in sæcula sæculorum porrigitur, seu, ut Græcus habet, *εἰς πάντα τὰ ἔτη*; τὸ αἰών, id est, in omnes generationes sæculi. Tertium, versu 15, fore ut luce quiddam folgeat Jerusalem, eaque non qualemque, sed splendidâ, estque hæc lux vere fidei et veritatis, itemque famæ gloriæque illustratissimæ, ideòque additur: *Et omnes fines terræ adorabunt te*. Hoc tamen idem in Græco quoad verba non est sententia, tamen eadem è consequentibus habetur. Quar-

lum ergo est, versu 14, futurum ut nationes Hierosolyman veniant, seu gentes, τὰ ἔθνη, à quibus usitatum ethnicorum nomen. Adduntur verò tria: primò, unde ventura sint, ἀρχαῖον, è longinquis videlicet partibus; secundò quo fine: *Adorabunt Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt*, id est, ut eam veluti sanctam suscipiant et venerentur, in eaque Dei gratiam et sanctificationem accipiant. Ipsa enim, Psalmo 115, est sanctificatio Domini, qui eam sanctificavit, et in eâ sanctificabitur, eo scilicet modo quo in Oratione Dominicâ sanctificatur ejus nomen. Idèò dicitur: *Nomen enim magnum invocabunt in te*. O Hierusalem. Græcè: *Ἦκουσθε τὸ ἔθνος ἁγία τὸ θεῶν*: *Veniens ad nomen Domini Dei. Tertio, quomodo venturæ sint gentes additur, munerâ scilicet deferentes, Græcus cum emphasi: δόξα ἐν χάριτι ἔχοντες, καὶ δόξα τῷ βασιλεῖ τῷ ἐξουσίῳ. Τεταρτὸν ἡρώδης δὲσποσι τοῦ ἀρχαίου, dona, inquit, in manibus habentes, et dona Regi cœli. Generationes generationum dabunt tibi exultationem. Additur in eodem Græco etiam quatuor, quot istæ gentes future sint, non una scilicet tantum vel duæ, sed ἅνθρωποι, gentes multe. Nunc versu 16, ex his quæ predicantur, quantum ad Hierosolyman hostes amicosque pertinet. Illi maledicti sunt, hi benedicti. Et illorum duplex injuria tangitur, odium et blasphemia, per quæ omne incommodorum, quæ Hierosolyms intulerunt, omne conviciorum contumeliarumque genus intelligitur. Horum verò amor in Græco hic ponitur, in Latino postea, versu 18, unde oriuntur, quæ in Hierosolyman ipsam conferre possunt bona, ad eam scilicet ædificandam pro virili juvare, ob ipsius pacem, seu faustitatem, incrementum et gloriam lætari, et prout in Græco apponitur, de flagellis et calamitatibus, quibus istæ gentes affligebantur, doluisse: *Μακάριος ὁ ἀδικησάντων ἰσὺς ἡνάξας τὴν πόλιν τὴν σου. Beati qui super flagra tua omnia indoluerunt. De istis omnibus semel iterumque in Græco dicitur. O felices, o beati. Et quod versu 17 est: *Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicuntur et congregabuntur ad Dominum*, Græcus ita offert: *Λατρεῖτε et exulta propter filios iustorum, quia congregabuntur, et benedicent Dominum iustorum. Sextum, versu 19, seipsum excitat ad Deum laudandum, et versu 20, seminî suo tantorum honorum aspectum precatur, unde sibi ipsi beatitudinis veluti partem quandam obtenturam profess-***



tur. Græcè vocatur Deus *Βασιλεὺς ὁ μέγας, Rex magnus*, et verè magnus præ illis, qui magni olim vocabantur, de quibus in Judith et Esther. Septimum, versu 21, est quedam reedificanda Hierosolymæ delineatio, quoad præcipuas partes, tres nimirum: portas, muros et plateas. Portæ ipsius ex saphyro et smaragdo constabant. Muri circumcirca, ex lapide pretioso. Plateæ omnes è candido mundo lapide sternentur. In Græco sic: *Edificabitur Jerusalem saphyro et smaragdo et lapide pretioso, muri tui et turres et propugnacula in auro mundo, et plateæ in Jerusalem in beryllo et carbunculo, et lapide ex souphir tessellabuntur; tibi pro portis, ipsa Jerusalem synecdochicè ponitur, et unâ cum muris adiunguntur eorum turres et propugnacula. In plateis verò quis sit ille Latini textus candidus mundusque lapis ostenditur, lapis videlicet Ophirites, seu ex Ophir. Ita enim Græcè legendum est, ut Hebræorum textum alter legit, et in 3 Reg. c. 9, pro in Ophir habent itidem Septuaginta, et vocat, pro sic dicitur, et videri posset illic sic accessisse sigma, hic verò ex resolutione ipsius duplicis ξ in x et c, factum ἑξοσφίρ, nisi Ecclesiasticus cap. 7, absque istâ mendî occasione vocat etiam legeretur, et Isaie cap. 43. Qui verò isti lapides et quales gemmæ sint persequitur, l. de Lapidibus S. Epiphanius lib. 16 Orig.; Isidorus, lib. 37; Plinius à D. Hieronymo in Isaie c. 54, laudatus in peregrino Dionysius, et libello uno Rueus. Octavum est, quid in istâ urbe facturi sint incolæ, versu 22: *Per vias ejus, alleluia cantabitur. Quemadmodum apud gentes, lætantium vel bacchantium potiùs voces erant: Io pœan, io pœan, ita in Dei Ecclesiâ et apud sanctos, ingentis ejusdem sanctique gaudii est hæc oratio, hallelu, yah, quam in Psalmi 103 inscriptione apud Septuaginta primùm legimus, licet in Psalmi 103 attribuant Masorethæ. Constat verò ea verbo et nomine. Illud valet laudare, non tamen simpliciter, sed cum quodam gaudii sensu, cum júbilo et cantu. Veteres enim Hebræi sæpè holal per verbum aliud schamah, quod gaudere significat, explicant, et hillulah lætitiâ vocant, beth hillulah, domum lætitiæ et gaudii, ipsumque quandoque nuptialem thalamum, Levitici 49. Iah, unum ex decem Dei nominibus est, ut ait S. Hieronymus epistola 156 ad Marcellam, et invenitur Isaie 26, Ps. 67, 76, 95, 117, 150. Id à timendo R. Salomon et ferè Targum Hebræici, ab essendo alii deducunt, in quibus ex videtur S. Justinus**

quæst. 50 ad Orthodoxos, dum yah vertit in ihv. Est ergo Halleluiah, laudate Deum, sed cum júbilo, cum lætitiâ et admodum intensè, prout Hebræica etiam conjugatio secum affert, ideòque rectè loco citato S. Justinus, *ἑξοσφίρ* parâ *αἰδώς τὸ ἔν*. Plura de isto halleluiah apud D. Hieronymum epist. 156, 157, Augustinum epist. 176, seu altercatione cum Pascentio, in Psal. 106, 110, 148, homil. 16: *« Hanc esse vocis, ait, laudem, nullus Christianus, quàm libet imperitus, ignorat, »* qui et de eâ, ipso Paschatis die, sermonem ad populum habuit, estque inter Paschales primus: *« Quoniam, »* ait, voluit Dominus, ut charitatem vestram in alleluia videremus, de alleluia vobis verbum debemus. Non sim oneri, si commemoratio quod nôstis, quia et ipsum alleluia quotidie dicimus, quotidie delectamur. Nôstis enim, quia alleluia Latine dicitur: *Laude Deum; et in hoc verbo consonantes ore, et consentientes corde, exhortamur nos in vicem ad laudandum Deum. Eum tantum homo securus laudat, qui non habet unde displiceat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium viatici dicimus alleluia; modò nobis alleluia canticum est viatoris. Tendimus autem per viam lætiosam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus nostris non remanebit nisi alleluia. »* Et post nonnulla: *« Modò gloria Dei nostri, gloria Christi nostri latet, et cum illo abscondita est et nostra. Sed cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria. Tunc erit alleluia in re; modò autem in spe. Spes illum cantat, amor cantat modò, amor cantabit. Sed modò cantat amor esuriens; tunc cantabit amor fruens. Quid est enim alleluia, fratres mei? Dixi vobis, laus Dei est. »* Ecce modò verbum auditis, et audiendo delectamini, et in delectatione laudatis.

#### QUÆSTIUNCULA LXXIII.

QUÆ ISTORUM AD HIEROSOLIMAS TRES POSITAS ACCOMMODATIO?

Ista verò dupliciter accommodari possunt, vel omnia scilicet singulis Hierosolymitanis, proportionem scilicet quâdam et accommodatone servatâ; vel quâdam quibusdam. De terrenâ videri potest Carthusianus. Nam, ob Christi Domini sepulchrum et vestigia, urbs illa etiam à Christianis et peregrinantibus valde semper culta fuit, ut ex D. Hieronymo et Burchardo in principio patet. De cœlesti

videatur Clemens sub finem l. 4 Stratomum, et Apocalypsis caput 21. De tertiâ quæ est Ecclesiâ in terris adhuc constituta, viam præit S. Paulus, qui ad Galatas 4, illa quæ de sterilitate fecunditate, de tabernaculorum dilatatione aliisque similibus prædixerat c. 54 Isaia, ad Ecclesiam refert. Ideòque et hoc loco tanti præcessoris vestigia rectè sequi licebit cum D. Hieronymo in illud 56 Isaie, et deinceps legatur ipse, breviterque hæc notentur. Ecclesiâ catholica: lux maxima est, Isaie 2, 54, 66, ad eam veniunt captivi schismatici, hæretici, excommunicati, ut etiam hoc tempore, Alexandrinorum et Ruthenorum ad Romanam Ecclesiam legatos audivimus, de quibus Baronius tomò 6 et 7. Quàm multos ingenio, doctrinâ, opibus et dignitate præstantes quotidie videmus, qui hæreson vanitate tandem aliquando agniti, respiciunt, suamque ad matrem Ecclesiam catholicam revertuntur! Veniunt ad eam è longinquo etiam alienigenæ, ut gentiles, Peruan, Mexicani, Japonenses, Indi, Sinae, Magores. Hostes ipsius maledicti sunt Turcæ et hæretici omnes; benedicti amici, qui eam ædificant, Apostoli et doctores, 1 Corinth. 5. Ejus ædificatio constat lapidibus pretiosissimis, fide, spe, charitate, aliis. Per omnes vias ejus cantatur alleluia, quia non unum jam templum tantummodò est, sed multa et in omni loco, ut Joannis 4 dictum erat, laudatur Deus, reque ipsâ clarissimè

videmus, quod Malachia 1, v. 11, scriptum est: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quid verò in omnibus Catholicorum ditionibus, in viis etiam publicis, in plateis omnibus tot pietatis monumenta, tot ad Christi Domini, beatissimæ ipsius matris, cœlitumque ipsius laudem statuae, imagines, sacella? Quid tam crebræ item processiones, et litaniae, tot in iis Christi Jesu Domini ac Salvatoris nostri vexilla, tot crucis, faces, sacrige cantus? Idque in urbibus et pagis, per vios, villas, agrosque omnes? Nonne ut magnus Deus noster, et in se et in sanctis suis laudetur et celebretur? Nonne ut et summa et innumera-bilia ejus in nos, ubique locorum, beneficia, gratiarum actiones à nobis, ejus majestati, locorum ubique agantur? Nonne denique ut per omnes Ecclesiæ sanctæ vios, pio sinceròque mentis affectu, verbis, rebusque omnibus alleluia cantetur? Felices, qui, quàm præclarum in Ecclesiâ catholice cœlestis illius Jerusalem ectypum, quàm viva imago sit, perspicunt, in eaque circumferunt, licet undique hostiles hæretica, Judaica, hæretica acies perseverant, vocibus, moribusque canentes alleluia. *Laus et gloria et virtus Deo nostro!* Amen. (SERARIÏ.)

## SERARIÏ VITA.

SERARIÏ, vel SERRARIÏ (Nicolaus), Rambevilleri in Lotharingâ natus anno 1555, summâ linguarum orientalium peritiâ floruit. Jesuitarum societati adscriptus, humaniores litteras, philosophiam theologiamque vicissim docuit, primùm Wiceburgi et postea Moguntiae. Sedecim scripsit volumina in-F., quæ omnia eximie eruditionis virum arguunt; nec mirum si Baronius in Annalibus suis eum Ecclesiæ Germanicæ lumen appellarit. Moguntiae obiit anno 1609.

In tantâ operum mole præcipue commendaruntur ejus in interpresis, quæ sunt hominibus, quæque sunt de christiana religione, quæ sunt de christiana disciplina, quæ sunt de christiana morum disciplina, quæ sunt de christiana doctrina, quæ sunt de christiana pietate, quæ sunt de christiana caritate, quæ sunt de christiana humilitate, quæ sunt de christiana castitate, quæ sunt de christiana continentia, quæ sunt de christiana sobrietate, quæ sunt de christiana temperantia, quæ sunt de christiana modestia, quæ sunt de christiana simplicitate, quæ sunt de christiana castitate, quæ sunt de christiana continentia, quæ sunt de christiana sobrietate, quæ sunt de christiana temperantia, quæ sunt de christiana modestia, quæ sunt de christiana simplicitate.

dantur: 1<sup>o</sup> Prolegomena in Scripturam sacram; 2<sup>o</sup> Commentario in varios Scripturæ libros; 3<sup>o</sup> Opuscula theologica; 4<sup>o</sup> Tractatus de Pharisæis, Sadducæis atque Essenis; 5<sup>o</sup> Tractatus de Rebus Moguntinis. Commentarium quod hic subjicimus, omnium circa materiam optimum visum est; cum verò non singulos versículos, sed ipsa capita commentetur, ne à servato hæcuscus interpretandi modo recedere videamur, non Serario, sed ipsi Vulgatæ textus notas ex præstantissimis auctoribus desumptas apposimus.